AD

RECENSIONEM

BULLARII ROMANO-SVEOGOTHICI,

A NOBIL. A CELSE EDITAM,

APPENDIX.

CUJUS PARTEM I.

Venia Fac. Philoſ. R. Acad. Aboënſis,

PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE PORTHAN,

Eloqv. Profeſſore Reg. & Ord Reg. Acad. Litt. Human. & Antiquitt. nec non R. Soc. Scient. Upſal. Membro,

Publicæ bonorum cenſuræ ſubmittit

ISAACUS MONTIN,

OSTROBOTNIENSIS.

In Auditorio Superiori die XXII Junii MDCCXCVI,

H. A. M. S.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

THESES RESPONDENTIS.

THESIS I:a.

Qui veræ cognitionis atque lucis inter homines incrementum, periculosum esse putant; aut se velle homines fallere ac lædere, aut ideas veritatis & felicitatis admodum incongruas fovere, produnt.

Thes. II:a.

Nomen *virtutis* apud plerasque gentes a *fortitudinis* admiratione ac notione primum effluxisse videntes, conditionem earum, tutelæ & defensionis vehementer indiguisse, facile animadvertimus. Sed vere tamen asseri simul potest, vim quandam mentis masculam constantiamque virilem, omnis virtutis quasi basin esse habendam.

Thes. III:a.

Ut cultura gentis cujusque ex lingvæ suæ indole permagnum habet aut adjumentum aut impedimentum; ita contra ex gentis cultura, linguæ ejus multa magnaque adfluunt commoda & adjumenta.

Thes. IV:a.

Ad indolem linguæ Fennicæ diligentius attendentes, adeo egregiis illam pollere dotibus reperimus, ut si cultura accedat diligens, dubium esse non debeat, quin una præstantissimarum evadere queat.

Thes. V:a.

In vehementi hominum dissensione, sæpe qui sanissimam urget sententiam, vel media quasi via incedit, aut dissentientes inter se conciliare sententias studet; non minori se exponit utriusque partis odio, quam cui altera pars litigantium alteri esse solet.

INNOCENTIUS III.

1. *Petro Aruſienſi Epiſcopo (a).* Data *Peruſii VI Kal. Octob. Pontif. A. I.* (d. 26 Sept. 1198). Sex Præbendæ, quas Epiſcopus de bonis Patrimonialibus & aliis ab eo rationabiliter acquiſitis, ac de illis quæ commiſſa eidem Eccleſia prius habuerat, fundaverat, Canonicis aſſignandas, laudata ejus liberalitate confirmantur. — "Ex Regiſtro Literar. Apoſtolicar. Innoc. PP. III, A. I. Ep. 373."

2. *Ubſalenſi Electo (b).* Dat. loc. a. & die eod. Ad ejus petitionem transmittit Pallium, de corpore b. Petri, Sedis Apoſtolicæ nomine per Archiepiſcopum Lundenſem (c) ei, ſub ea forma juramenti quam expreſſam huic ſub Bulla ſua Papa ſimul transmittit, tradendum. — Indidem An. I, Ep. 374.

3. *Lundenſi Archiepiſcopo* (Andreæ) (d). Dat. *Rome ap. S. Petrum Idib. Novemb. A. VII.* (d. 13 Nov. 1204). Permittitur, ut villicum, qui Sacerdoti cum uxore ejus nefariam rem habere deprehenſo naſum abſciderat & linguam læſerat, ideoque excommunicatus fuerat, abſolvat, cum hac tamen conditione, ut expenſas quas facere deberet in itinere ad Sedem Apoſtolicam, mittat in ſubſidium Terræ Sanctæ vel in Chriſtianorum auxilium qui laborant in partibus illis contra perfidiam paganorum, & nihilominus laborem

(a) Hoc eſt, niſi fallimur, *Aarhuſienſi* in Jutia? Nam *Aroſienſis* eſſe non poteſt; ubi *Petrus* Olavi multo antea obierat. Contra floruiſſe his temporibus *Petrum* (Ingredſon) Epiſcopum Aarhuſienſem legimus. Vid. FONTOPPIDAN *Annal. Eccleſ. Danicæ* T. I p. 333.

(b) *Olavo*, dicto *Lambatunga*. Cfr. RHYZELII *Epiſcopoſc.* P. I, p. 32.

(c) *Abſalon* (ſ. *Axelius*) *Hwide*. Cfr. RHYZELIUS l. c. P. II p. 12.

(d) *Sunonis*. RHYZELIUS l. c. P. II, p. 13.

borem itineris redimat juxta proprias facultates (*e*). — Indid. A. VII Ep. 156.

4. *Eidem.* Sine loco & anno, *II Idus Januar.* (d. 12 Jan.) Mulierem quæ deſponſata cuidam Nobili fuerat, & poſtea, ei nubere nolens, velum viduitatis ſolenniter aſſumſerat, aut conſummare matrimonium debere, aut voto ſe adſtringere ad obſervantiam regularem (h. e. ad Ordinem aliquem Monachalem intrandum). — Indidem A. VIII Epiſt. 195. Margini exempli noſtri, Vir Doctiſſimus cujus curæ benignæ idem deſcriptum debetur, adſcripſit: "Extat hæc Epiſtola in *Corpore Juris Canonici* (*f*) inter *Decretales Gregorii IX* ſub Titulo (*g*) *De Converſione Conjugatorum*, Cap. XIV; & falſo inſcribitur *Archiepiſcopo Lugdunenſi*, & rejicitur in An. 1210, cum pertineat ad an. 1205."

5. *Eidem.* S. l. & a. *Idibus Jan.* (d. 13 Jan.). Archiepiſcopo, contra paganos proficiſci cogitanti, permittitur, in civitate quam paganorum eliminata ſpurcitia poterit ad cultum fidei Chriſtianæ redigere, Catholicum Epiſcopum ordinare (*h*). —Ind. Ep. 197.

6. *Eidem.* S. l. & a. *XV Kalend. Febr.* (d. 18 Jan.). Gratias ei agit Papa, pro ſollicitudine de religione propaganda. Laudat quod ſub viſitatione Eccleſiarum Danicarum (Regni Dacie) *Ordinis nigri Monachos*, quorum ſtatus in pluribus vacillabat, quod præ-

(*e*) "Presbyter ipſe (ut verba jacent) ad otium ſe transtulit Monachorum, „ut ſuam ſalvare poſſet animam inter eos."

(*f*) In editione Decretalium quam poſſidet Bibliotheca noſtra Acad. (Lugduni ap. Hug. a Porta & Ant. Vincentium a. 1559, 4:o), non verbotenus quidem tota deſcripta legitur, ſed ita tamen, ut quæ ad caput rei pertineant, plane eadem habeantur. Tempora autem datarum Epiſtolarum illa editio nulla indicat.

(*g*) Lib. III Tit. XXXII.

(*h*) Reſpicit ſine dubio ad expeditiones Danorum circa hæc tempora ad littora Eſtonica, Pruſſica & Vendica ſuſceptas & meditatas: ac ipſum hunc Archiepiſcopum a. 1206 exercitui Danico ad illas oras miſſo præfuiſſe, conſtat. Cfr. LANGEBEK *Script. rer. Danicar. Medii ævi* T. I p. 165 & 243; T. II p. 525 & 624. Etc.

præſertim ex diverſarum regionum diverſis conſuetudinibus contingebat, ad uniformitatem reducere ſtuduerat, & ad eorum preces iis permiſerat ut communem ſibi Rectorem eligerent Abbatem *Cœnobii Omnium Sanctorum Lundenſis* (ubi Capitulum generale celebraverant); & approbat hanc inſtitutionem ad *quadriennium*, "infra quod ſpatium, niſi appareat aliquid quod eam ſuadeat immutandam, ex tunc auctoritate Apoſtolica ſecure poterit confirmari." — Indid. Ep. 198.

7. *Eidem.* S. a. & l. *XIIII Kal. Febr.* (d. 19 Jan.). Archiepiſcopo petenti ut inſtitutiones quasdam a ſe factas confirmaret, reſpondet non placere eas ſpecialiter confirmare, "ne per confirmationem hujusmodi, jus commune ſtatuere videretur"; ſed annuit, ut quæ ille ſtatuerat, tamen *in provincia ſua* rata eſſent. — Ind. Ep. 196.

8. *Eidem. Rome apud S. Petrum, Idib. Januarii, Pontific. anno Octavo* (*i*), (d. 13 Jan. a 1206). Servos ob manus violentas in Clericum injectas excommunicatos, Romam ad abſolutionem petendam eſſe mittendos: ſed ſi fecerint hoc in fraudem domini, aut ſi huic ſine culpa ſua grave damnum inde oriatur, Archiepiſcopo eos abſolvere permittitur, ob itineris longitudinem, ſed alia ſatisfactione ejus loco iis injuncta. — "Ex Reg. Innocentii III, A. IX N:o 11." Margini præterea adſcriptum exempli noſtri legitur: "Extat inter *Decretales* Gregorii IX, *de Sententia excom.* C. 37, (*k*) per errorem inſcripta *Lugdunenſi* Archiepiſcopo a. 1214."

9. *Eidem.* S. l. *XV Kal. Febr.* (anno VIII), h. e. d. 18 Jan. 1206. Indulget ei, ut auctoritate Pontificis, toti provinciæ Lundenſi officium viſitationis impendens, corrigat corrigenda & ſtatuat ſtatuenda, & pro eo labore Procurationes accipiat moderatas, & beneficia quæ tanto tempore in eccleſiis ejusdem provinciæ vacarunt, ut ad Papam ſecundum Lateranenſis Concilii ſtatuta eorum donatio devoluta ſit, idoneis perſonis aſſignet; ut porro cauſas quæ ad ſuam audientiam deferrentur examinaret & fi-

(*i*) *Sic* legi teſtatur adſcripta exemplo noſtro adnotatio.
(*k*) L. V, Tit. XXXIX.

ne canonico decideret, ac a ſua ſententia appellantibus terminum competentem ſtatueret, ad quem niſi appellationem fuerint proſecuti, ex tunc in ipſo negotio, non obſtante appellatione, procederet; eos denique qui propter ſacrilegam manuum injectionem in canonem inciderunt ſententiæ promulgatæ, abſolveret, niſi exceſſus eorum tam gravis aut enormis eſſet, ut eos merito crederet ad Sedem Apoſtolicam deſtinandos. (*l*) — "Ex Reg. Innoc. III. a. VIII, N:o 194".

10. *Eidem. Laterani II Non. Apr. Pontif. A. XV* (d. 4 Apr. 1212). Archiepiſcopus Lundenſis, quo efficacius poſſet negotium exſequi circumſtantes paganos ad Chriſtianam fidem convertendi, Legatus Sedis Apoſtolicæ per Daciam (Daniam) & Svethiam conſtituitur, cum poteſtate evellendi & deſtruendi & ædificandi & plantandi, prout utrumque ſecundum Deum viderit faciendum (*m*). — "Ex Reg. Literar. Apoſtolicar. Innoc. P. P. III a. XV Ep. 14 p. 86."

11. *Regi Svetie Illuſtri* (Erico Canuti). *Later. XIII Kal. Maji, Pontif. A. XVI* (d. 20 Apr. 1213). Monet Papa Regem, ut ad celebrandum intra biennium Concilium generale nuntios mittat, ubi inprimis de negotio recuperandæ Terræ ſanctæ & reformanda eccleſia erit deliberandum (*n*). — Indid. a. XVI Ep. 30.

12. *Univerſis Chriſti fidelibus per Sveſciam conſtitutis. Later. III Kal Maji, Pontif.* A. *XVI* (d. 30 Apr. 1213). Hortatur eos longa hac Epiſtola, largisque propoſitis præmiis ſpiritualibus, Papa, ut hominum & pecuniarum ſubſidia ad Terram ſanctam recuperandam conferant. — Indid. a. XVI Ep. 28.

13. *Lun-*

(*l*) Cfr. Bulla ſimilis tenoris, ab *Honorio* III a. 1217 data, quam recenſet A CELSE *Apparat. ad Hiſt. Sveo-Gothicam* Sect. I p. 55 N:o 4.

(*m*) Cfr. Bullam dat. d. 19 Nov. 1204, quam ex *Baluzio* recenſet A CELSE l. c. p. 50 N:o 8. Vid. LAGERBRING *Svea Rikes Hiſt.* II Del. 14 Cap. 8 §. p. 435 not. (2).

(*n*) Cfr. LAGERBRING l. c. §. 5, &, ad quem provocat, HARDUINUS *Concil.* T. VII p. 9 & 10.

13. *Lundenſi Archiepiſcopo, Apoſt. Sedis Legato.* Dat. l. a. & d. iisd. Diligenter monetur, ut negotium Terræ Sanctæ per totum regnum Danorum ſumma cura, prudentia & moderatione peragat. *Diſtricte* (ita habet) *precipiendo mandamus, quatenus excutiens ab omni munere manus tuas, nec aliquid preter victum & alia neceſſaria recipiens a quoquam, quin etiam moderate ſumens hec eadem, & modeſte in vectionibus, cum pro hac cauſa proceſſeris, vicenarium numerum non excedas,* &c. — Indid. Ep. 29.

14. *Archiepiſcopo Ubſſellenſi* (Valerio Archiep. Upſal.) Dat. l. a. & d. iisd. Ejusdem tenoris. Additur: "Sane volumus & manda„mus, ut per totam Svethiam cum conſilio ven. Fratris noſtri „Lundenſis Archiepiſcopi, Apoſtolice ſedis Legati, ſecundum pre„ſcriptam formam hoc negotium exequaris. Nos enim eidem „Archiepiſcopo noſtris damus Literis in mandatis, ut tibi ſuper „hoc conſilium tribuat oportunum." — Indid.

HONORIUS III.

1. *Lundenſi Archiep.* (Andreæ Sunonis) *Later. VIII Kal. Febr. Pontif. A. I.* (d. 25 Jan. 1217). Quam Prædeceſſor ſuus (Innocentius III) ab illo rogatus ei conceſſerat poteſtatem, hic Papa confirmat, ut ſuper facto Roſchildenſis Eccleſiæ, ad quam *Nepos ejus Magiſter P.* (*a*) eſt vocatus, diſponeret quod honeſtati, eccleſiæ ac ſaluti dicti Magiſtri expedire videret. — "Ex Reg. Honorii PP. III, a. I. Ep. 198".

2. *Eidem.* Dat. l. a. & d. iisd. Permittitur ei, ut de quocunque religioſorum ordine vel Monaſterio ſuæ Dioceſis, aſſumat Monachum, Canonicum aut Converſum, quem litteratura videret & morum honeſtate fulciri, quem in ſuæ familiaritatis conſortium poſſet retinere, vel aliquoties mittere pro Eccleſiæ ſuæ utilitatibus procurandis; illa tamen adhibita temperamenti cautela, quod per abſentiam alicujus eccleſiæ propria utilitas enormiter non lædatur. — Indid. Ep. 199.

(*a*) *Petrus Saxonis?* Cfr. PONTOPPIDAN *Ann. Eccleſ. Dan.* T. I, p. 565 ſq. & RHYZELIUS *Epiſcopoſc.* P. II p. 15.

3. *Clero & populo de Gutlandia. Later. III Kal. Febr. A. I.* (d. 30 Jan. 1217). Confirmat compoſitionem ſuper diſtributione Decimarum totius terræ illorum inter eos & Lincopenſem Epiſcopum, de aſſenſu & auctoritate Lundenſis Archiepiſcopi amicabiliter initam, ac multis temporibus approbatam (*b*). — "Ex Reg. Litterar. Apoſtolicar. Honorii P. P. III. A. I Ep. 217 p. 56."

4. *Abbati & Conventui de Om, (c) Ciſtercienſis Ordinis. Later. II Kal. Febr. A. I.* (d. 31 Jan. 1217). Confirmatur translatio Monaſterii facta de loco *Wegen (d)* ad locum *Om*, de conſilio Dioceſani Epiſcopi (*e*) & Archiepiſcopi Lundenſis. — Indid. Ep. 218 p. 56.

5. *Archiepiſcopo Lundenſi* (And. Sunonis). *Later. III Id. Febr. A. I.* (d. XI Febr. 1217). Permittitur, ut ſi quando propter raritatem Clericorum in ſua provincia videret expedire, quod qui non eſſent nati de legitimo matrimonio (*f*), dummodo non eſſent geniti de nefando contubernio, ſeu etiam deteſtando, & morum honeſtas ac litteratura in iis adjecerit quod legitimationis defectus in nativitate detraxit, ad ſacram militiam (h. e. ordinem Eccleſiaſticum) aſſumeret, ac igitur, ubi ſcandalum non obſiſteret, diſpenſandi cum quibusdam haberet facultatem, ea tamen mode-

(*b*) Hanc Bullam a VASTOVIO jam adductam (*Vit. Aquilon.* p. 167, Ed. Colon.) recenſet a CELSE l. c. p. 55 N:o 3.

(*c*) *Oem*, in (Diœceſi Aarhuſienſi, & Præfectura Scanderborgenſi Jutlandiæ; cui etiam *Caræ Inſulæ* nomen olim inditum fuit. Cfr. de hoc Monaſterio *Den Danſke Atlas* (ved Dr. ERICH PONTOPPIDAN, fortſat af HANS DE HOFMAN) T. IV, Cap. VI p. 231 ſqq.

(*d*) *Weng*, (in eadem Diœceſi ac Præfectura) ubi antea Monaſterium Fratrum Prædicatorum fuerat; de quo, ejusque fatis, cfr. *Den Danſke Atlas* l. c. & p. 236 ſq.

(*e*) *Svenonis* Epiſc. Aarhuſienſis. l. c.

(*f*) Id eſt, Eccleſiæ ritibus & auctoritate contracto & ſtabilito; hactenus enim civilis tantum inſtar actus & pacti conjugia apud ſeptentrionales ſpectata fuerant, Sacerdotali benedictione (qua demum matrimonium reddi legitimum ex Eccleſiæ mente debuit) haud expetita: e quibus natos liberos haberi ſpurios Pontifices volebant, ad munera eccleſiaſtica non ſine prævia diſpenſatione admovendos.

moderatione adhibita, ut cauſa ceſſante, hæc indulgentia ceſſaret. — Indid. N:o 296.

6. *Archiep. Lundenſi & ſuffraganeis ejus. Lat. II Kal. Mart. A. I* (d. 28 Febr. 1217). Jubentur decretum Concilii Lateranenſis de viceſima omnium proventuum eccleſiaſticorum usque ad triennium in ſubſidium terræ ſanctæ conferenda, (quibusdam duntaxat religioſis, & illis qui aſſumto crucis ſignaculo illuc perſonaliter eſſent profecturi, exceptis) per ſuas Diœceſes publicare, atque de ratione eandem colligendi, tuto transmittendi ac fideliter & diſcrete cruceſignatis egentibus, & utilibus negotio terræ ſanctæ (præſertim de illa Diœceſi ubi viceſima illa collecta fuerit egreſſis), diſtribuendi, edocentur (*g*). — Indid. N:o 311.

7. *Lundenſi Archiep. ejusque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Dat. Laterani per manum Ranerii Sancte Romane Eccleſie Vicecancellarii XVI Kal. Dec. Indict. VII, Incarnationis Dominice Anno MCCXVII, Pontificatus vero Domini Honorii Pape anno ſecundo* (d. 16 Nov. 1217). Confirmatur conſtitutio Papæ *Adriani*, qua Lundenſis Archiepiſcopus Primatum ſuper regnum Svethiæ perpetuum obtinuerat, Palliumque ei fuerat transmiſſum ut hoc Archiepiſcopo regni illius conferret, qui per Lundenſem Metropolitanus ibi fuerit inſtitutus, quique gratiam conſecrationis per manum Archiep. Lundenſis adeptus, ipſi & Lundenſi Eccleſiæ, ſalva fidelitate Romanæ eccleſiæ, fidelitatem & obedientiam juramento promittere deberet. Additur: "Quod uti„que in bone memorie *Stephano* quondam Ubſalenſi Archiepiſco„po, qui a Predeceſſere tuo pie recordationis Eſchillo Archie„piſcopo, tempore felicis memorie *Alexandri* Pape, eo preſente „Senonis, ratione jam dicte inſtitutionis gratiam conſecrationis „accepit, & ſub anteceſſoribus noſtris bone memorie *Lucio*, *Cle„mente*, *Celeſtino*, *Innocentio* ac nobis, ſecundum preſcriptum ordi„nem, in felicis recordationis I. & P. (*h*) ac venerabili fratre noſtro

(*g*) Cfr. de eodem hoc negotio datas Archiep. Upſalienſi & Suffraganeis ſuis hujus Papæ literas, apud Dn. A CELSE recenſitas p. 55 N:o 2 & p. 56 N:o 5; nec non LAGERBRING l. c. p. 428.

(*h*) *Johannis* & *Petri*. Exemplum *Langebekii* pro P. vitioſe habuit C.

„ſtro O. (*i*) Upſalenſibus Archiepiſcopis, quos A. (*k*) predeces-
„ſor tuus pie memorie conſecravit & palleum vice ipſorum ante-
„ceſſorum noſtrorum contulit, dinoſcitur adimpletum. Quoniam
„igitur hoc ſicut a prenominato *Adriano* anteceſſore noſtro ſtatu-
„tum eſt, ita ſub E. & A. anteceſſoribus tuis, effectum accepit;
„Nos memorati *Adriani*, & felicis record. *Alexandri*, *Lucii*, *Ur-*
„*bani*, *Clementis*, *Celeſtini* & *Innocentii* Predeceſſorum noſtrorum
„Romanorum Pontificum veſtigiis in tam laudabili opere inheren-
„tes - - - firmum & illibatum perpetuis temporibus decernimus
„permanere," &c. — Indid. A. II Ep. 727. — Subjungitur porro
„exemplo noſtro hæc adnotatio: "In Regiſtro An. VIII ejusd. Pon-
„tificis occurrit eadem Bulla ſub num. 273, cum ſequentibus no-
„tis chronologicis. Dat. Later. per manum Magiſtri Guidonis
„D:ni Papæ Cappellani & Not. XVI Kal. Martii Indict. XII Incar-
„nationis &c. An. 1223. Pontif. vero D:ni Honorii P. P. III. An-
„no Octavo." (*l*).

8. *Archiep. Lundenſi* (Andreæ.) *Rome apud S. Petrum*, *II Non. Maji A. II* (d. 6. Maji 1218). Docet quid de Apoſtatis ſit agendum, qui in cuſtodia detenti nec minis nec blanditiis poſſent induci ut abjectum monachalem habitum reaſſumerent; nempe permittitur, ut tales, ſi vellet, poſſet ita ſub gravi cuſtodia coarctare, ut ſolummodo vita ſibi miſera reſervaretur, donec a ſuæ

(*i*) *Olavo* (Lambatunga). In exemplo *Langebekiano* male ſcriptum (aut lectum) fuit C. pro O. Vid. LAGERBRING l. c. C. XI §. 16 not. (b).

(*k*) *Abſalon*, quod etiam nomen margini exempli noſtri adſcriptum reperitur.

(*l*) Recenſetur hæc Bulla apud Dn. A CELSE l. c. p. 60 N:o 21. cfr. LAGERBRING l. c. C. XI §. 16 p. 274 ſq. & C. XIV §. 8 p. 433, 435 not. (1). Difficultas quam contra characterem temporis ipſi adpoſitum nectit Dn. A CELSE, tota inde fluxit, quod vacante ſede Upſalienſi, adeoque poſt mortem demum Archiep. VALERII (quem a. 1219 obiiſſe, fide veteris *Chronici* a *Scheffero* editi, recte obſervat; RHYZELIUS l. c. P. I p. 33 habet 1220, neſcio unde?), atque occaſione conſecrandi ſucceſſoris ſui *Olavi* (Baſatömir) datam temere ſupponit; cui rei comminiſcendæ ipſa Bulla nullam præbet rationem, nonniſi generalem conſtitutionem pro caſibus futuris exhibens.